

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Prorector Academiae Fridericianae Johannes Sperlette,
Philosophiae Professor Pvblicvs Et Ordinariivs, una cum
Professoribvs Reliqvis, Cives Academicos Ad ...**

Sperlette, Johann

[Halle, Saale], [1704?]

VD18 13292315

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-63868-p0011-9](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-63868-p0011-9)



ig.
Volpi
ed.

10
2.2

38

4.

5.

60

7.1

PRORECTOR
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ
IOHANNES
SPERLETTE,

PHILOSOPHIÆ PROFESSOR PVBLICVS
ET ORDINARIVS,

una cum

PROFESSORIBVS
RELIQVIS,

CIVES ACADEMICOS

Ad Ferias CHRISTI Natalitias, meditanda
cœlestis Patris charitate,

PRECIBVSQVE DIGNIS ET SANCTIS
MORIBVS,

devorissime celebrandas,

Omnes ac singulos invitat.

A. C. MDCC IV.

Typis Christiani Henckelii, Acad. Typograph.

* * * * *

CHARITAS DEI!

2. Cor. XIII, 13.



Eternis oculis hominum Pater atque deorum
Viderat, humanā justissima spernere gentem
Pacta sua, & fato ventura pericula in ipsam
Corruere. (a) Ergo omnes, ait, Augustissime
Fili!

Mortales fugient tua pręnantissima regna?
Gratia quę, qualis, quanta ex te panditur illis
Omnibus! at nostro quam se solentur amore
Turpiter ingrati, seclorum instantia longe,
Frigora portendunt, infernis digna tenebris. (b)
Longe illis faciem licet obvertamus, & irę,
Et bonitatis; & hinc peruerſi in pejus abibunt.
Fac, pelago immiſſo terra expurgetur, ut orbis
Prodeat inde novus: mox & Nimrodus, & Aſſur, (c)
Ac alii ardebunt, pacem turbantibus auſis,
Fingere ſceptra ſibi, nec fas nec jura tenentes.
Miſerimus poſthac cunctis prę millibus unum
Abramum, ſolida qui ſit virtute futurus
Conſtans, atque tuos exſultet lumine magno (d)
Cernere, Nate, dies; (e) hujusque nepotibus omnem
Lege voluntatem noſtram minitante recluſam
Tradiderim, vivoque habitārim cominus ore
Inter eos: labente tamen cum tempore & ipſi
Jure focoque cadent cęleſti, aliena ſequentes
Sakra & juſſa hominum, nulla qui luce fruantur. (f)
Tu

(a) Hoſ. XIII, 9. (b) Deut. XXXII, 5, 6. (c) Gen. X, 9. 11. (d) Mal.
II, 15. (e) Joh. VIII, 56. (f) Aſt. VII, 39, 40, 42, 43, 51.

CHARITAS DEI.

Tu venies tandem, venies tu, pignus amoris
 Dulce mei, in terras, carnemque indutus & ossa
 Te coram insinuare malis conabere frustra.
 Scilicet in carnis sensus furiasque trahuntur
 Lapsi ægri assiduas, &, qua se spiritus offert
 Noster in auxilium, obsistunt; (g) nec scire morantur,
 Quanta suis stulti illecebris diademata perdant.
 Rumpitur interea mihi mens miserantibus imis
 Visceribus, ne omnes patiar migrare sub orcum. (h)
 Vade age, nascere homo, decretaque nostra tyrannis
 Haud placitura refer. Surgit mihi debita proles,
 Non ex sanguinibus majorum, aut compote carnis
 Consilio, atque viri; sed, quæ ex me nascitur ipso (i)
 Per tua verba, fidem penitus generantia sanctam.
 Illam non patrum mores, (k) non purpura mundi (l)
 Flectet: amabit enim te solum, & quod tibi soli
 Imperium sine fine dedi, te vindice habebit. (m)

Filius hæc postquam audivit pia jussa Parentis,
 Virgine natus adest, celebrans Genitoris amorem
 Nuntius erranti generi, pariterque ministrans
 Angustam portam, reditus qua detur ad astra. (n)
 Me Patris unigenam, me, me, inquit, cernite; vobis
 Quem Deus e gremio concessit, ne qua creata
 Mens, infinitam nisi opem aspernata, periret.
 Cernite, quantum homines nimium dilexerit ipse! (o)
 Feli-

(g) Gen. VI, 3. Joh. I, 11. (h) Luc. I, 78, 79. (i) Joh. I, 12, 13. (k) 1. Pet. I, 18:

(l) Matth. XI, 7, 8. Joh. XV, 19. XVII, 14, 16. (m) Joh. I, 32, 33. XVII,

19, 24. Dan. VII, 18. (n) Matth. VII, 13, 14. (o) Joh. III, 16.

CHARITAS DEI.

Felices nimium, si se præstare fideles
 Maluerint, quam se proprio privare salutis
 Æternæ studio, quod spes velut anchora poscit. (p)
 Vestra absumpta salus fuerat: mihi restat emendi
 Palantes animas fors dira, haud ære fugacis
 Argenti atque auri, quod si fluat omnibus undis,
 Montibus aut celsis emanet ab omnibus unum
 In cumulum, vestrum non tollat crimen, at alto
 Sanguine, quem jubeor pro vobis fundere solus. (q)
 Tanta Creatoris vos gratia quærit & ambit!
 Hæc etiam ex longo annorum patet ordine claris
 Indiciis, quod jam tum prima ab origine summus
 Rerum opifex, sicut justum libamen Abelis (r)
 Dignatus patrio est vultu, sed fratris eundem
 Subjiciens plantis occumbere sivit iniquo
 Vulnere; sic reliquos respectans providus omnes,
 Quos olim electos cœlesti destinat aulæ,
 Præsenti ætati tanquam ludibria sistit
 Expositos, læti nempe ut vescantur honore
 Spirituum interno, radiis melioribus apti. (s)
 Hos qui experti ignes, hunc qui amplexantur amorem,
 Hæc qui lege meo sunt nati ex Patre, beatos
 Prædico: vae vobis, quibus est averſa voluntas!
 Noctes atque dies cunctis patet ardua cœli
 Janua, quam nascens reſero, & de morte cruenta
 Exſurgens victor patefactam ostendo quibusvis, (t) Si

(p) Hebr. VI, 19. (q) 1. Pet. I, 18, 19. (r) Gen. IV, 4. 8. 1. Joh. III, 12.
 Hebr. XI, 4. (s) Matth. V, 11, 12, 1. Cor. IV, 9, 11, 13. 1. Pet. IV, 13, 14.
 16. Heb. XII, 9. (t) Act. XVII, 30, 31.

CHARITAS DEI

Si redamare velint, quem tam vehementer amantem (u)
 Ex me percipiunt: partis sed viribus uti
 Atque frui, atque cruci mecum submittere colla,
 Hoc opus, hic labor est, hic amor sub pectore firmo! (x)
 Verbum ita divinum loquitur: quos ore ferendi
 Sermones nunquam finem dedit. Illius ante
 Interpres pius omnis erat. Post ipse refulgens
 Optata facie, quos non prædulcis amicus (y)
 Mille modos animis admovit! (z) ut ætheris auræ
 Sublimi castas obtusa in mente pararet
 Paulatim aurículas, quæ suavia dicta Tonantis
 Interius caperent: veluti pluvialibus ultro (a)
 Terra repletur aquis, Boreas nisi clauferit istam.
 Tantum Evangelium selectus Apostolus omnis
 Commendavit idem, simul in miracula rerum (b)
 Omnia commutans; si quis diffideret illi,
 Ut sentire Deum posset. Quanquam insita dictis,
 Quod mirabilius facta est, penetrantior ense
 Ancipiti, assensum verum vis dia ciebat, (c)
 Qua sine nil sancti hauritur, nil Numine dignum.
 Ibant in populos, nec non penetralia adibant
 Extima, seu pedibus, venti seu flatibus acti,
 Huc illuc ducente DEO. (d) Nihil amplius autem
 Cantabant memores, quam quo indulgentia cœli
 Exciperet miseras Christi solamine mentes,
 Quæ natum mortis domitorem agnoscere, & ejus
 Fata sequi mallent, fœdæ caliginis armis (e)
 Abjectis, fierique DEI generosa propago: Ex

(u) I. Joh. IV, 10, 11. (x) Matth. X, 38. XVI, 24. Marc. VIII, 34. Luc. IX, 39.
 Gal. VI, 14, 15, 16. (y) Cantic. II, 8, 10. V, 4, 5. Eccl. V, 1. (z) Matth. XIII,
 9. &c. (a) Hebr. VI, 7. (b) Act. V, 12, 14. (c) Rom. I, 16. Hebr. IV, 12.
 (d) Act. VIII, 39. (e) Rom. XIII, 12, 14.

CHARITAS DEI

Ex Patre non genitos, qui oculorum pascua vana,
 Atque voluptatem carnis, moresque superbos
 Sectari cuperent; (f) huic impendentibus orbi
 Talia deberi flammis terrestria corda. (g)
 Sic illi ingressi, meritis communibus ullos
 Non temere exclusos voluere, sed ardua tantum
 Declarant monita, ut, qui sese inferre sacrato
 Sanctorum imperio meditentur, inania linquant
 Mundi optata semel semperque, & sponte fugatis
 Tot desiderijs nôrint, nisi amare profana
 Absistant, ipsos propria hæc sibi dona negare; (h)
 Esse timore, tremore opus esse, (i) ubi funere Gnati
 Sit nostras animas mercatus summus Amator. (k)
 At quamvis JESUM, spes & solatia terræ,
 Omnibus obtulerint omni molimine; (l) firmum
 Stat tamen, inventos raros de mille potentum
 Illustri numero, qui intrarent retia Christi. (m)
 Hinc testis Paulus: sapientum haud nomina multa,
 Non opulentorum, nec quos stirps splendida fulcit,
 Sorti electorum cecidisse, quod aspera spernant. (n)
 Sæpius id repetens, aliquando ad sidera palmas
 Tendeat Dominus: Pater, o regnator in astris
 Et tellure, Tibi sit laus, sit gloria, quando
 Arcana hæc merito visum est abscondere ab illis,
 Qui sapere ante alios & res censere videntur,
 Ac detecta eadem lætentibus obvia ferre!
 Eia, Pater! justum est, cum sola infantia gaudet
 Lacte & melle tuo. Juvat hæc Te pura voluptas,

(f) 1. Joh. II, 16, 17. (g) 2. Pet. III, 12, 13. 1. Cor. II, 6. (h) Act. VIII, 21.

(i) Phil. II, 12. (k) Rom. V, 8. 1. Cor. VI, 20. (l) 1. Cor. V, 20, 21.

(m) Matth. IV, 19, 20. (n) 1. Cor. I, 26, 27.

CHARITAS DEI.

Hæc tua divinum pertentant gaudia pectus! (o)

Sed vos quid tandem? qui toti incumbitis artes

In varias, seu vos deceat versare colendo

Jura, statumque omnem patriæ, ritusque decoros,

Seu medicas tractare manus, curasque dolentum

Innumeras, seu, quos usus natura requirat

Partibus ampla suis, quos quævis lingua recessus,

Tempora quos habeant eventus, sive salutis

Christianæ causas scrutari e fontibus imis.

Hisne animis opus? aut num fas contendere contra,

Hortatorem humilis studii, quod ducat in altum? (p)

Respondere quidem solitum meministis eundem:

Hoc agendum unum, sed ita, ut nec cætera cessent. (q)

Sed vos qui demum, digno cura ista quibuscum

Excubet alma loco? cessat palmaria, cessat,

Indignis sopita moris; si qua altera fervet.

Sicne polum spondet vobis, DEUS ille, magister?

Ille, DEO æqualem reddi, duxitne rapinam? (r)

Non ita. Quantus amor Patris, tanta æstuat intus,

Sumta in carne, ducis nostri vis æmula ad omne

Obsequium: lætatur enim, prædura tenellis

Substerni membris miseras præsepia cunas;

Formam habitumque gerit pueri servilis, & ora

Involvi pannis patitur, submissus in annos

Continuos matri, renuit fastidia nulla. (s)

Natus ita, & datus est animis infantibus infans! (t)

Quales namque cupit genitos de Numine Numen,

Talem misit eum. Si quem sapientia cepit


Ve-

(o) Ps. VIII, 3. Matth. XI, 25, 26. (p) Matth. XVIII, 3. (q) Matth. XXIII, 23. Luc. XI, 42. (r) Philipp. II, 6, 7. (s) Matth. II, 14. Luc. II, 51. (t) I. Cor. XIV, 20.

CHARITAS DEI.

Vera, procul fugiat turpi cum fraude tumorem (u)
 Cordis, & exquirat vestigia pulchra Magorum,
 Bethlemi agnoscens, precibus votisque subactus,
 Quas fruatur infidias, quæ blandimenta maligna
 Herodes dederit, per quæ diversa viarum
 Dexterâ magna Dei dignetur ducere sanctos. (x)
 Quid multum incautis, quid nugatoribus, auræ
 Mundanæ stolidis servis, crudele canamus? (y)
 Quanta mala his instant, si nec prudentia mundi
 Christo digna fuit! (z) Quanta autem, quanta paterni
 Pectoris hæc flamma est, qua, quotquot vana relinquunt,
 Spirituum generator amat, de semine laudans
 Unius sobolis natos, unaque futuros
 Hæredes scribens! atque ex hoc jure supersunt
 Quanta illis, qui se purgârint, purus ut ipse est! (a)
 Angeli inexpletum gaudent, populoque fideli
 Gratantes, introspiciunt in mira JEHOVÆ,
 Descenduntq; in humum; neq; enim consistere mentem
 Passa cupido: satis se non posse illa tueri, (b)
 Significant, cœli pleno agmine conclamantes:
 Gloria in excelsis Patri! pax, gratia terris! (c)
 Talia cœlicolæ? quid nos, quibus auctor habendæ
 Filius ipse reis vitæ datur, inque labores (d)
 Advenit ac mortem? Quantum in nos flagrat amara
 Virtute exsuperans, nos tanto impensius æquum est
 Dura sequi. (e) Paucos exspectat regia CHRISTI: (f)
 Jungamur paucis; VERBIQUE DEI que benigni
 Tantum ullo sine fine ardenter amemus amorem!

(u) 1. Pet. V, 5, 6. (x) Matth. II, 7, 8, 10, 11, 12, 13. (y) Rom. II, 7, 8, 9. Jac. IV, 4, 8, 9, 10. (z) Rom. VIII, 7, 8. 1. Cor. I, 25. 2. Cor. VI, 14, 15. (a) 1. Joh. III, 1, 2, 3. (b) 1. Pet. I, 12. (c) Luc. II, 14. (d) Esa. XLIII, 24. LIII, 4. (e) Philipp. II, 12. (f) Luc. XIII, 23.



W 48

